

**Tentamen academicum graduale de magia daemonica ... / Publico bonornm
[sic] Examini modeste submittet Johannes Dahlgren, Daliâ-Vermlandus.**

Contributors

Dahlgren, Johannes.
Lunds universitet.

Publication/Creation

[Lund] : Typis Lundensibus, [1729]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/pnmzegp7>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

TENTAMEN ACADEMICUM
GRADUALE
DE

MAGIA DÆ-
MONIACA,

Quod
Indulgente Ampl. Facult. Philos.
in Regia Academia Carolina,

PRÆSIDE
VIRO Amplissimo & Celeberrimo
Dn. Mag. MAGNORY-
DELIO,


Hist. & Poes. Prof. Reg. & Ord.

Addiem 1 Mart. Anni MDCCXXIX.
loco & horis consvetis

Publico bonorum Examini modeste
submitte

JOHANNES DAHLGREN,

Dalia - Vermlandus.




Typis Lundensibus.

*Adm. Reverendo & Præclarissimo
Domino,*

**D:no Mag. ZACHARIÆ
ESBERGIO,**

Præposito & Pastori Uddevaldensium
longe dignissimo, Patrono per-
petim derenerando.



*Perquam Reverendo & Præclarissimo
Domino,*

**D:no Mag. O L A O
TRANÆO,**

Pastori in Osby & Foshult ut meri-
tissimo, ita vigilantissimo, Patro-
no filiali pietate prosequendo.

*Perquam Reverendo & Præclarissimo
Domino,*

**D:no Mag. A N D R Æ
GÖÖNBERG /**

Ecclesiarum Stenebyensium Pastori
fidelissimo, fautori multis nomi-
nibus æstumatissimo.

Adm. Rev. & Præclarissimo
Domino,

D:no Mag. CHRISTO-
PHORO RISELL,

Præposito Daliæ australis meritissimo,
Pastori in Bobbåd &c. accuratissi-
mo, Patrono semper colendo.

Perquam Reverendo & Præclarissimo
Domino,

D:no Mag. JOHANNI
HESSELGREN,

Pastori in Högåsäter &c. dignissimo,
piissimo, Patrono itidem ob sangvi-
nis propinquitatem pia mente
suspiciendo.

VIRO Spectatissimo,

D:no OLAO HÆGER,

Confiliario Urbis Gothoburgensis
consultissimo, fautori suo
propensissimo.

*Triga Virorum Spectatissimorum, virtutibus
& industria prænobili, fautoribus suis optimis,
certissimis, officinarum ferrearum plurimum
in Vermlandia possessoribus
perindustriis,*

D: no HENRICO
D: no OLAO
D: no HERMANNO

{ KOLTHOF.

Viro Spectatissimo,

D: no PETRO KOOPMAN,
Consiliario Urbis Uddevaldensis
dignissimo, fautori suo
optimo.

Vobis, adm. Rev. Præclarissimi, Spe-
ctatissimi D: ni Patroni & fautores,
hoc quaecumq; Tentamen Academi-
cum in monumentum perpetuæ Gra-
titudinis, ob plurima in se collata
beneficia, exstare
voluit

Nominum Vestrorum Cultor Devotus
A, & R.



§. I.

Cum mihi, per DEI gratiam, proponerem argumentum aliquod publico bonorum sistere Examine, inter alia maxime arrisit hoc, quod jam exhibemus, de Magia Dæmoniaca. Animus quidem mihi fuit, fuse hanc materiam tractare, cum vero curta suppellex domi institutum meum infringeret, vela contrahere necesse habui, & paucis quibusdam §. §. potiora momenta attingere. Interim si DEUS vires & vitam concesserit, in animum induxi hanc rem pluribus persequi. Non me fugit vastæ eruditionis multæque lectionis penu ad materiem hanc arduam rite meritoque tractandam requiri. Nec is ego sum, qui ista subsidia mihi adesse affirmaverim, infirmitatis meæ ipsemet quam maxime conscius. Hoc au-

tem a benevolis censoribus me obtenturum spero, ut hanc excusationem admittant;

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.

Horrenda quidem extremi hujus criminis existant documenta, at nihilominus sunt, qui pedibus manibusque id agunt, ut omnia ad mera figmenta hominum reducant. Et, quod maxime dolendum, non solum viri docti extra Ecclesiam constituti, sed & celebres intra Ecclesiæ pomœria viri, quibus tamen de meliore luto Titan præcordia finxerit, id negotii sibi datum credunt, Ingeminantque Horatianum illud:

*Somnia, terrores Magicos, Miracula,
Sagas,*

*Nocturnos lemures, portentaque Thessalæ
risa*

*Excipio: **

Hor. lib.

2 Ep

v. 209.

Utinam risus hic Horatianus fundamento non careret, nos etiam risum non teneremus! Sed curatius rem pensitanti potius lacrymæ cadunt. Non diffitemur multa in hac causa perperam credita esse a veteribus pariter

ter ac recentioribus quibusdam nimis credulis ; immo multis infontibus impactum esse hoc crimen. Inde verorem omnem pro fabula venditare nimis frivolum & temerarium esse, nulli dubitamus asserere. Ne autem gratis hæcce dixisse videamur, præter existentiam & potentiam Diaboli in hoc mundo, addimus (1) Confessiones Magorum Sagarumq; libere, sine tormentis & perturbatione editas, quibus in hac causa, cum omnis suspicio doli absit, fides denegari non debet. (2) Edicta Imperantium, quæ sine urgente necessitate & accurato plurium examine in publicum edi non solent. Nec credibile est tam multos pios & sapientes reges cum larvis & umbris, solo præjudicio vulgi deceptos, pugnasse. (3) Sapientum consilia & monita, quibus in tam ardua re inquirenda neq; studium, neq; prudentiam defuisse existimamus. (4) Diabolum inde a primordiis hominibus, eorumque creatori DEo, infensissimum fuisse. Quod ipsum adeo est planum, ut id nemo, nisi qui oculos mentis ultro

occludere velit, inficiari aufit. (5) Omnium temporum fide dignos Historicos omnes fuisse vel cæcos, l. doctos, vel aliis præjudiciis præoccupatos adeo, ut sine curatiori censura quicquid vel per falsas relationes, vel per suasmet vanas persuasiones accepissent, id statim ut verum calamo commiserint, præfumptionem ab omni honestate remotissimam esse censeo. (6) Scripturam Sacram, quæ affatim testimoniorum & argumentorum nobis in manus tradit, utpote Magorum Ægyptiacorum conamina Ex. 7. Bileami Num. 22, 7. collat. cum 2 Pet. 2, 15. 16. & Apoc. 2, 14. Sagæ Endoreæ I Sam. 28. Simonis Magi Act. 8, 9. seqq. Barjehu Act. 13, 6. aliorumque. Hæc omni exceptione sunt majora, & Impietatem existimo summam malo quodam artificio ea velle enervare, cum & gentilium testimonia huic veritati non defint. *Plura huc pertinentia legi merentur apud Iæschernum in Præn. Theol. p. m. 311. Hartm. in Past. Evang. p. m. 1176. 1177: Grapium in Theol. rec. Contr. continuata cap. 3. Qu. 9. p. m. 80. seqq. Bud.*

*Buddeum in Inst. theol. Dogm. lib. 2. cap. 2.
ad §. 39. p. m. 421. 422. Voëtium in Diss. de
Magia Part. 2. §. 2. Qu. 1. p. m. 563. seqq.
§. 2.*

Spiritus a DEO & animabus hominum diversos, quos angelos, ad imitationem Scripturæ Sacræ dicimus, existere, horumq; quosdam esse malos, quosdam bonos, experientia quadantenus constat, revelatio autem firmiter & inconcussè docet. *Vid. Budd. Inst. lib. 2. cap. 2. §. 19. p. m. 390. & §. 21. p. m. 392. it. Hollazii Ex. Theol. Acroam. Part. I cap. 4 Qu. 2. p. m. 409.*

§. 3.

Spiritus nomine nobis venit Substantia materiæ expers, intellectu & voluntate prædita. *Vid. Budd. Inst. lib. 2. cap. 2 §. 20. p. m. 391.*

§. 4.

Ita posita existentia, ponitur etiam *αἰέτης* illos non esse, sed potentia quadam, licet finita, gaudere. Hinc magnam sæpe & mirandam circa materiam vim, permittente Deo, ostendant. *conf. Budd l. c. it. 1 Sam 16, 14 Job. 1. Act. 19, 16. Luc. 13, 16. Matb. 8, 28 & 17 15.*

§. 5.

Magiæ initium incerto Zoroastri, falsissime autem Mosi ceterisq; Patriarchis ejus cultura adscribitur. *Vid. Syr. Phil. Pr. P. 2. cap. 6. §. 10. p. m. 465. 466. Justin. lib. 36. cap. 2.*

§. 6.

Ægyptios & Chaldæos illicita hac arte excelluisse dubio caret. *Vid. Theodoretum Cyrensem Episcopum in Tract. Ἑλληνικῶν παρηγοριῶν Θεοπαυσίαν Serm. 3. de Angelis, Diis ac malis Daemonibus p. m. 47. Mich. Berns Dreytsche Welt Part. 3. cap. 1. §. 7. p. m. 523. ii. §. 16. p. m. 541. & alibi passim.*

§. 7.

Majores nostri una cum ceteris Septentrionis populis Magiæ fuerunt studiosissimi. *Vid. Schedium de Diis Germanis p. m. 255. Olaurum Magnum lib. 1. cap. 1. & lib. 3. cap. 10. qui Bothnicos Septentrionales, Lappos & Finnones, Biarmos itidem vocat Magos Excellentissimos cfr. Mich. Bern. l. c. cap. 4. §. 2. 3. p. m. 609. seqq.*

§. 8.

Immo, teste in Scripturis Sp. Sancto, Ecclesia V. T. hoc crimine confur-

spurcata erat, & proh dolor! de temporibus N. T. idem constat. *fr. loc. supra cit. de Pythouissa Endorea & Simone Mago.*

§. 9.

Crimen Magiæ immerito multis inuictum esse non diffitemur. *Vid. Budd. Isag. Hist. Theol. p. 98. Naudæum passim in Tr. Apologie pour tous les grands Personages qui ont été faussement Supçonnez de Magie, inpr. cap. 20. p. m. 579.*

§. 10.

Summa cum impietate hoc crimen ipsi Salvatori, ejusq; sequacibus, attributum est. *Vid. Megalandri Lutheri Schemhamphorasch Judæorum, qui legitur Tom. VIII. Altenb. p. 27. seqq. it. Budd. Isag. p. m. 1008.*

§. 11.

Neq; criminis plane immunes, qui serio & studiose causam Magiæ vel defendunt, vel quovis modo extenuant. *Vid. Budd. Inst. Theol. Dogm. lib. 2. cap. 2. ad §. 39. p. m. 424. it. Isag. Tom. I. p. m. 280.*

§. 12.

Variis temporibus varii in hac arte exstiterè Magistri, inter quos principem

pem facile locum obtinent, quorum S:a
S:a meminit. Nec ultimum locum me-
rentur Doct. Faustus & Christoph: Wa-
genaer, propterea inter multos alios
notati Voëtio *Tom 3 Select Diss. Theol. Et
quidem Diss. de Magia Part. 1. §. 7. p. 549. 552.
it. Part. 2 §. 2 p. 565. de ceteris cfr. omnino p.
567.* §. 13.

Codicem nigrum dari, qui instar Sy-
stematis artium Magicarum fit, præ-
fracte negari non debet, præsertim
cum possibile omnino sit, ejusmodi
librum a maleferiato quodam Mago,
ad recensitionem Diaboli, literis con-
signatum esse. *Conf. Act. 19, 19. Voëtium
Diss. de Magia Part. 1 §. 7. p. m. 549. it.
Budd. Isag. p. 98. a.*

§. 14.

Omnes Magos, si non explicite, sal-
tim implicite pactum cum malo genio
inire, affirmare non vereor. *Vid Hartm.
Past. Evang. lib. 3. cap 59 §. 4 p. m. 1179.
Syrb. Phil. Pr. Part. 2. cap 6 § 9. p. m. 403.
Voët. l. e. p. 549. Balduin. in Cas. Consc.
l. 3. c. 5. p. m. 548.*

§. 15.

Diabolum varios cultus sui modos
Ma-

Magis præscribendo, Simiam agere Dei, a vero haud absonum est. vid. iterum Voët. l. c. p. m. 550. it. *Fileiaci Idolatriam Magicam. Remigii Daemonolatriam.*

§. 16.

Dæmonem posse, & interdum re- ipsa (quamvis non tam frequenter ac vulgo creditur) corpora mancipiorum suorum per aëra ferre, nulli dubitamus asserere. *conf. Act. 8, 39. Librum Apocryphum Danielis, Matth. 4. Voët. Diss. Part. 2 §. 7. p. m. 379 seqq. Budd. Lib. 2. cap. 2. ad §. 21 p. m. 394. Bald. Cas. Consc. lib. 3. cap. 5. Cas. 7 p. m. 549 seqq.*

§. 17.

Conventum tamen omnium Sagarum totius orbis in montem Bructerum fabulis Æsopiceis annumerandum censet *Syrb. Phil. Pr. Part. 2. cap. 6 §. 18. p. m. 477.*

§. 18.

Non tamen ideo omnes conventus Magicos negamus, sed potius adstruimus: quamvis non inficiemur, sæpius in hoc negotio per imposturas & præstigias Diaboli mortalibus misere im-

imponi. *Vid. Doct. Brunneri iudicium Theologicum de Magia.*

§. 19.

Exorcismum benedictionesq; Papicolarum, Oracula Gentilium, nec non artem divinatricem monstrosæ Magiæ furculos esse non abnuimus. *Vid. Balduin. l. c. p. m. 545. it. Voët. sæpius cit. Diss. Part. 2. p. m. 599. Peucer. de Div. p. 154. & alibi passim.*

§. 20.

Homines per artes Magicas non revera, sed apparenter duntaxat, in lupos converti, facilis credo. Idem etiam de rerum aliarum Metamorphosi teneo. *Vid. Hollazii Ex. Theol. Part. 1. p. 417. Balduin. l. c. l. 3. c. 5. p. m. 553. seqq. Wierus lib. 3. de præst. Dæmon. cap. 10. Voët. l. c. Part. 2. qu. 5. p. m. 583.*

§. 21.

Dæmonem autem per Magos partum genuinum furripere, spuriumq; supponere posse, qui opinentur non defunt. *Vid. Bechm. Theol. Consc. Cas. circa Sac. Bapt. 7. §. 10. 11. p. m. 158. it. Holl. Ex. Part. 1. cap. 4. qu. 8. p. m. 417.*

§. 22.

Magorum aliqui familiares Spiritus perpetuo secum circumferunt ergastulis, annulis, thecis, speculis aut CrySTALLIS vinctos & conclusos. Hos Spiritus vetustas *παρόδους* vocavit. vid. *Peucer. de Div. p. m. 177.*

Diabolum per Magos morbos infligere, immo mortem inferre, non est dubium. Sanitatem autem eum per Magos restituere posse, cum distinctione quadam admittendum est. vid. *Voët. cit. Diss. P. §. 7. p. m. 581.*

Variis modis per Magiam muniuntur milites adversus omne telorum genus. *Vid. Voët. l. c. p. 561. Isogai Carla Segerstöld I. Dehl Vol. 2. cap. 15. p. m. 830. seqq. Balduin. l. c. lib. 3. cap. 5. p. m. 539.*

Tempestates ciere, lac, aurum, argentum, fruges & alia bona furari potest Dæmon, variisq; præstigiis miseris aniculis persuadet, seipsas per certos præscriptos ritus & cærimonias
id

id efficere. *Baldwin. l. c. p. m. 559. seqq.*
it. Wierum l. c. passim.

§. 26.

Sensus internos & externos deludit
 Dæmon. Hinc est, quod Magi cre-
 dant se posse invisibiles reddi, & alios
 reddere. *Voët. l. c. p. m. 583. Baldwin. l. c.*
p. m. 546.

§. 27.

Suspicionem Magiæ non levem sibi
 attrahunt, qui contra Magos artibus
 magicis utuntur. *Baldwin. l. c. p. m. 562.*

§. 28.

Qui familiariter utuntur laribus do-
 mesticis, quia sunt Spiritus maligni
 assumpta visibili forma nobiscum con-
 versantes, Magiæ haud immerito accu-
 santur. *conf. Baldwin. lib. 3. cap. 2. p. m.*
452. seqq.

§. 29.

Modo detestando Sacramentis, Ba-
 ptismo & S. Cœna, abutuntur Magi
 ad sua perficienda opera. *Vid. Hartm.*
Past. lib. 3. c. 29. p. m. 712. Peucer. de Div.
p. m. 184. Baldwin. l. c. p. m. 561. conf. m.
præjudicatum supremi Dicasterii Gotbici de
AO. 1695. in tali Causa.

§. 30.

Profanatio illa verbi Divini, lingua Vernacula Signeri & Sijeri &c. dicta, auctorem sine dubio agnoscit Dæmonem, qui Monachos olim & alios superstitioni deditos, fidos habuerit parastatas. *conf. Svebelii Expl. Catech. Luth. ad Præc. Dec. 1. Qv. 11. p. m. 6. it. Wierus lib. 5. cap. 4.*

§. 31.

Cum veritate non pugnat Magos & Sagas, dum absentia resciscere cupiunt, deliquium vel ecstasin pati, agente interim Dæmone in Phantasiam illorum. Vinculum vero animæ & corporis tamdiu solutum esse mentiuntur. *Vid. Olavum Mag. lib. 2. cap. 18.*

§. 32.

Qui destinato tempore alimenta præbent serpentibus, suspicione Magiæ non carent, maxime cum credibile sit, sub eorum Specie ipsum comparere Satanam.

§. 33.

Etiam qui majorem, quam fert suppellex domestica, copiam butyri & lactis habent, atro notari solent lapillo.

*Vid. Theol. Upsaliensium judicium de causa
Magica in Norlandia.*

§. 34.

Magica tentamina piscatorum, aucu-
pum, agricolarum, procorum, mer-
catorum, nautarum, aliorumq; cir-
cumforaneorum nimis foret longum
enumerare; interim multa, quæ hi-
sce de rebus feruntur, non esse nullius
momenti statuimus. *conf. Scriptores de
Magia passim. ut. Syrb. Phil. Pr. Part. 2.
cap. 6. §. 23. p. m. 480.*

§. 35.

Nec defuere, qui artium tam libe-
ralium, quam illiberalium compendia
per Magiam quæsierunt. *Vid. Voët. p.
m. 560. qui refert ex Mureti lib. 3. varia-
rum lectionum cap. 1. de studioso quo-
dam Patavino, quod 36000. nomi-
num semel auditorum a primo ad ulti-
mum, & viceversa ab ultimo ad pri-
mum recitare posset: idque insigni &
mirabili aliquo Specimine coram Mu-
reto aliisq; probatum ibat. Quod na-
turaliter quidem fieri ne potuerit mihi
videtur, ille etiam an Magus fuerit
me ignorare fateor.*

Magi ita oculos in effigie expungere possunt, ut revera clades inde existat, & quæ sunt reliqua ejusmodi conamina noxia. *Vid. Wierum lib. 5. cap. 5. p. m. 524.*

Præcipue ictus lapponici, quos Svetice *Sinspott / Trosspott* vel *Sinspoltswar* dicimus, mirabiles sunt. *Vid. Wierum lib. 4. cap. 2. seqq. inpr. cap. 15.*

Magi & Sagæ olim per aquam, l. per ignem s. ignitum ferrum, l. per dimensiones, l. per librationem, l. alio lepido modo cognoscebantur: quem processum improbat *Hartm. Paß. lib. 3. cap. 59. §. 6. p. m. 1181. seqq. it. Voët. Diss. sæpius cit. Part. 2. p. m. 577. ubi plures invenies modos.*

Amuleta, & periapta, contra morbos, vulnera &c. Ars inveniendi thesauros & quæ sunt reliqua Magiam redolent. *Vid. Gisb. Voët. l. c. p. m. 560. 561.*

Hujus criminis rei semper sunt puniendi, non tamen semper requiritur poena capitalis. *Vid. Voët. l. c. p. m. 571. et. Baldu. lib. 3. cap. 5. p. m. 568.*

Plura momenta adferri possent, nec non magis methodice tractari hoc argumentum. Sed quod prius attinet, *Species ejus vix enumerari possunt: hydra est, cujus capita si amputentur, plura in dies de novo succrescunt.* sunt verba Voëtii in sæpius laudatæ Disputationis Parte priorè §. p. m. 560. Ad posterius observamus, nobis sicubi lapsi fuerimus veniam esse petendam; si vero metam aliquatenus tetigerimus, æqui boniq; consulendam esse operam nostram. Destruendo regnum Satanæ amplifcet, supplices rogamus, omnipotens DEUS regni sui limites! Cui sit in secula

Seculorum

Soli Gloria.

Clarissimo Candidato

JOHANNI DAHLGREN,

Disputationem suam de Magia Diabolica
in lucem edituro sic applaudit:

Dæmonas esse, retro testantur secula
pravos

Omnia, qui summum deseruere
DEUM.

Hoc sacra demonstrat nec fallax pagina
nobis,

Exemplisq; docet tristibus usus idem.
Dæmonis ingenium qui novit, novit &
artes,

Nocte quibus studeat qualibet atque
die.

Quam fœdo genuit, diffundit, semine
prolem,

Latius ut serpat tam scelerata cohors.
Artes ille docet stygii Rex arbiter orci,
Sacrilegi multi quam didicere Magi,
Quam juga mancipiis imponat dira ty-
rannus

Ille suis, præsens pagina docta monet,
Monstrat, amice, simul, qua Tu sis in-
dole felix,

Et bene quam studio culta sit illa tuo.

Mu-

Musarum princeps digno maectabit honore;

Laurum non anceps auguror ille dabit.
Optima nam Spes est, dum coeptis optimus adsit

Sic Tibi, si maneat in pietate probus.
Afflet, amice, Tibi ter Sancti Numinis
aura,

Retia, qua Satanæ frangere tenta queas.

Clarissimi Candidati

Amantissimus

Festinanti calamo

Osbyæ d. 14. Feb.

Æo. 1729.

Olaus Tranæus.



Clarissima Viro

JOHANNNE DAHLGREN,
Egregiam Dissertationem De Magia
Luci publicæ præbente,

Quis Tibi mortalis monstravit, Amice,
ce, nefandas

Artes, queis dives Thessala terra fuit?
Quæ Te Terra tulit? Nisi pars extrema
Gothorum,

Dicitur infandos quæ genuisse viros,
Flumina qui sistunt nodis ventosque
coërcent.

Dic jam, num falso Te reor esse Magū?
Parce

Parce joco ! Pietas prohibet Tua talia,
præsens

Et prohibet calamo Charta notata Tuo,
Quâ fere nudasti mysteria stulta Magiæ
Omnia, quæ Stygio Cerberus ore vo-
mit.

Perge, favente Deo, deludere Dæmo-
nis artes.

Sit Minor ille hostis, Major Amicus
erit.

Sic ludere voluit debuitq;

Joh. Corylander.



Höglärde Hr. Candidat!

Jycker Jwål / at jag ej har skåhl
Ehr Lårdom berömma,
Som kan så rätt och träffelig nått
All Trulldom fördömma.
Ett wackert Pund / i studier grund
Jwærfelig åger,
Glått ingen Man mig thet neka kan,
som arbetet wåger.
Sådant et Welt / utan Arbet och Sweit
rätt aldrig förwårswas.
Ty thet af Glåckt, el' then som en Klåckt,
som godz kan ej årswas.
Mig

Mig tyckes se / thet snart lærer se /
 Ehr GUDEN våra Blader /
 Jag ser Ehr Slächt / som theta är tåckt /
 af Skuggen bli glader.
 Fruckten jag ta nu önskar I må
 rätt snarligen våra /
 Frucht öfwer alt / ja tusende = falt /
 som är til Gud; Ähra /
 Nästan til Gagn / Ehr sielf til godt Namn /
 til Lust och til Nyta;
 Men när Gud sidst / som skier likwål wist /
 Ehr hädan wil flyta /
 Han låt Ehr bo / och härligen gro
 wid the lefwande Bäckar /
 Ther all ting står i en stadiger Währ /
 som grönskande Häckar!

N. Wennermarck.

